Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2759

Quelle:
Copyright:



*Cinerem tamquam panem manducabam* &c. *Si quereretur karissimi hodierna die et in hoc loco* &c. Collatio vero subsequens inscribitur: *Sermo de sancto mathia factus per Magistrum theologie dominum Helyam ordinis minorum.* In illud: *Scidit dominus regnum israel* &c. *Secundum quod dicitur Prou. XXX. per tria mouetur terra* &c. *Eliam* hunc dictum *de Nabinalis gallum*, et jam Archiepiscopum *Nicosiens. Clemens VI.* an. 1342. purpura et titulo *S. Vitalis* decoravit. Vide *Vitas Clementis* in *Baluzii T. I. Papar. Avenion.* et *Waddingi Scriptt. O. M.*

XII. *fol.* 42. *Sermo magistri sacri palacij factus in capella domini cardinalis de monte fauencio.* In illud: *Domum tuam decet* &c. *Domus dei quantum spectat ad propositum* &c. *Bertrandus de Monte Faventio Caturcensis* Cardinalis factus est a *Joanne* XXII. an. 1316. *Baluz. in Vit. cit.*

XIII. *fol.* 45. *De tribus hostibus generis humani.* In illud: *Vincenti dabo stellam matutinam* &c. *Quin totum tempus vite humane* &c. Prolixus *Sermo*, in *Capita* divisus, ut liquet ex *Indice* ei subjecto.

XIV. *fol.* 51. p. 2. *Sermo in dominica circumdederunt* (Septuagesimae) *per lectorem palacij fratrem Harmandum.* In illud: *Quid hic statis* &c. *Videmus hic in romana curia quod uolens a papa aliquid obtinere* &c. Lector hic *Armandus* est *de Bello Visu* O. P. qui an. 1333. obiit, Lector et Magister Sacri Palatii, de quo plura *Quetif.* T. I. p. 583. Ad quem itaque etiam ex praecedentibus *Sermones* quidam pertinebunt.

XV. a *fol.* 53. p. 2. sequuntur: *Collacio per doctorem* (lectorem) *palacij. de penitentia. Sermo de S. Gregorio* (Pontifice). *Collacio magistri ordinis predicatorum die cene auinione. Sermo in dominica reminiscere.*

XVI. *fol.* 58. *Sermo magistri francisci de ordine minorum factus in die ascensionis domini.* In illud: *Exultauit ut gigas* &c. *Duo sunt misteria sollempnia pertinencia ad personam domini* &c. *Franciscus* ne hic *Asculanus*, qui aliquamdiu *Michaeli de Caesena* contra *Johannem* XXII. adhaesit? an potius *Franciscus de Mayronis* scriptis multo clarior? Adhaerent huic *Sermoni* alii duo *ejusdem*, ut fert inscriptio, *Francisci:* Prior *de eodem.* Alter *de spiritu sancto.*

XVII. a *fol.* 62. p. 2. sequuntur: *Sermo de eodem spiritu sancto. Sermo dominica VI. post pentecosten. Sermo dominica IX. post pentecosten. Dominica XIII. post pentecosten Sermo. In conuersione sancti pauli sermo. Sermo magistri karmelitarum factus in die dominica post octauam epiphanie.* Omnes anonymi praeter ultimum, cujus autor fuerit *Guido Perpinianus* XII. Prior generalis e *Lucii Biblioth. Carmelit.* p. 32. sed vide dubium, quod movet *Baluzius* in *not. ad Vitas Papar. Avenion.* p. 577.

XVIII. *fol.* 72. *Sermo quem feci ego. P.* (Petrus Rogerii, postea Clemens VI.) *Rothomagensis Archi-*